



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiæ Parisiorum, 1678**

Ad Lomenium. Cum ei suos in Tachyllam phaleucos mitteret. Epistolivm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

Sæpe faucibus hausit Hippocrenen.  
 Fert dorso ille quidem & refert poetas,  
 Hinnitque ad placitos salitque cantus;  
 Sed contendere non amat poëtis,  
 Nec tentat numeros sibi negatos.  
 Estque in hoc sapiens supra caballum:  
 Qui vatis titulos decusque, nunquam  
 Hordei modio æstimarit uno.

Et tu si sapias, ô Tachylla, ab isto  
 Parnassi tibi plus timebis oestro;  
 Quam à crabronibus acribusque asilis,  
 Fucisque omnibus, omnibusque vespis.  
 Quippe huc denique tota res redibit:  
 Pro largis cyathis meri Lyæi,  
 Pro mulso, laganisque crustulisque,  
 Quæ ad mensam domini beata gustas;  
 Cogêris paleas vorare putres;  
 Et male in stabulo cubare olenti,  
 Cum mulis, asinisque, mannulisque,  
 Qui te calcibus impetent protervis:  
 Hæ nam deliciae manent poëtas.  
 Quare crede mihi, Tachylla, parce  
 Illis deinde suam invidere sortem:  
 Nam recte rationibus putatis;  
 Multo præstat equum esse quam poëtam.

## A D L O M E N I U M.

*Cum ei suos in Tachyllam phaleucos mitteret.*

## E P I S T O L I U M.

**V**ERSUS, Lomenide, nec elegantes  
 Nec terfos satis aut laboriosos;

Aa iij

Longéque iis lepidissimis phaleucis,  
 Quos misti mihi, dispares, remitto.  
 Sed tamen quia sunt mei, benigno  
 Illos accipies legesque vultu:  
 Et forsan quia sunt mei, placebunt.  
 Imo sunt potius tui: poëta  
 Nil enim suum habet; sed ipse tantum  
 Esse avet tuus, & tuus vocari.

AD ILL. V.

CAROLUM FERRARIUM TOTIUM  
 SENATOREM ROTHOMAGENSEM.

*Cum ei librum de bonis senectutis, ab I. V. D. P.  
 scriptum remitteret.*

EPISTOLIUM.

**R**EMITTO aureolum tibi libellum,  
 Dignum pyxide cedrina libellum  
 Sacras Mnemosynæ recondi in ædes,  
 Cum Bruto, Senecaque, Tullioque,  
 Et Catonibus, & Platone magno.  
 Nam nil dulcius & magis venustum:  
 Nil est sanctius & magis severum:  
 Seu luxus hominum, improbosque amores,  
 Et raptam ante diem arguit juventam;  
 Seu certam docet innocente vita  
 Parari senibus beatitatem.  
 Hoc noctesque diesque lectitando,  
 Ferrari, didicisse non pigebit  
 Quod te olim nive candidum verenda,  
 Ætatis vetet invidere flori.